



Gustav Friedrich Wiggers


## **Dissertatio Inauguralis Theologica De Juliano Apostata Religionis Christianae Et Christianorum Persecutore**

Rostochii: Rostochii: Apud Car. Christoph. Stillerum: Literis Adlerianis, MDCCCX.


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn100667764X>

Druck Freier  Zugang  OCR-Volltext
















EXERCITIO MATHEMATICO

# JULIANO ABROGATA

SECUNDUM CRISTIANUM

EXERCITIO MATHEMATICO

EXERCITIO MATHEMATICO

EXERCITIO MATHEMATICO

EXERCITIO MATHEMATICO

EXERCITIO MATHEMATICO

EXERCITIO MATHEMATICO



DISSERTATIO INAUGURALIS THEOLOGICA

DE

JULIANO APOSTATA

RELIGIONIS CHRISTIANAE

ET

CHRISTIANORUM PERSECUTORE.

---

PRO

SUMMIS IN THEOLOGIA HONORIBUS

RITE CAPESSENDIS

SCRIPSIT

*GUSTAVUS FRIDERICUS WIGGERS*

PHILOSOPHIAE DOCTOR, THEOLOGIAE PROFESSOR. PUBLICUS ORDINARIUS.

---

ROSTOCHII MDCCCX.

APUD CAR. CHRISTOPH. STILLERUM, LITERIS ADLERIANIS.



Christianorum persecutor injustus depingeretur, et idem Imperator, quem multis modis Christianos vexasse prisci scriptores perhibent, a nostrae aetatis hominibus Vir aequus et dissentientes facile ferens praedicaretur? Utrum illa disensio a partium studio est profecta, an a repugnantia in moribus Juliani? Haec et talia, quae a scriptore historico nullo modo praetermitti debent, mihi in mentem venerunt, quum in Juliani historia perscrutanda tenerer, et me, ut in causas illius disensionis accuratius inquirerem, excitarunt. Fontibus accurate perspectis, e quibus Juliani historia hauriri debet, videbam, disensionem illam tolli posse, si tempora probe distinguantur, et discrimen inter *persecutorem religionis christianae* et *persecutorem Christianorum* statuatur, hoc autem discrimine aut neglecto aut non satis exposito omnem de hac re disputationem ambiguitate et obscuritate laborare necesse esse. *Regiminis* enim *initio* Imperator ille multa fecit et statuit, quae quidem animum a Christiano cultu alienum, sed eundem clementem et aliter sentientes ferentem declarant, *temporis* autem *progressu* inclementior esse coepit, ita ut, qui initio *christianae religionis* persecutor esset, postero tempore *Christianorum* persecutor evaderet.

Sed cum statuissem disertationem theologice inauguralem conscribere, opera in hoc argumento uberius excutiendo ponenda nec ab hujus scriptiois consilio et ratione aliena, nec fructu et utilitate sua caritura mihi videbatur, quum historia ecclesiastica vere universalis tum demum rite conscribi ac condi possit, quum singulae res ad eam pertinentes in clariore luce positae fuerint.

Ad hanc autem disputationem ordine et ratione quadam instituendam, *Sect. I.* discrimen inter *persecutorem religionis Christianae* et inter *persecutorem Christianorum* exponemus.

*Sect. II.* in odium Juliani, erga religionem Christianam, et in causas hujus odii inquiremus.

*Sect. III.* examinabimus, quae *regiminis* initio ad *religionem christianam* extinguendam fecit statuitque.

*Sect. IV.* argumentis historicis evincemus, Julianum postero tempore *Christianos* persecutum esse et causas probabiles afferemus, quibus factum est, ut Imperator animum erga eos mutaret.

*Sect. V.* videbimus, quid ex his disputatis efficiatur.



S E C T I O P R I M A .

*De discrimine inter persecutorem religionis Christianae  
et inter persecutorem Christianorum.*

§. I.

In omni re rite explicanda et perquirenda nihil ad explorandam veritatem efficacius est, quam distinctio non in verbis, sed in rei natura posita, ut, *qui bene distinguit, bene docet*, sermone satis tritum proverbium sit.

Christianae religionis autem inter persecutorem et inter persecutorem Christianorum grave discrimen subest. *Qui religionem christianam odit et extinguere studet, hominibus autem, qui eam profiteantur, non aegre facit, est religionis christianae persecutor*; qui Christianos autem *propter eorum religionem* in odio habet, vexat et commodis privare studet, quibus cives in republica, bonis legibus temperata, gaudent, *est persecutor Christianorum*. Christianismi igitur persecutor modo religionis est inimicus, hominibus, qui eam colunt, non succenset, Christianorum autem persecutor et religionis et hominum, qui eam profitentur, est inimicus. Ille animum philosopho magis dignum prodit, qui rem, quam his illisve causis oderit, ab homine, qui eam sequitur, distinguere scit; hic est ferventior, qui odium, quod in rem aliquam susceperit, in homines etiam confert.

§. 2.

Jam multi scriptores historiae ecclesiasticae recentiores discrimen inter persecutorem Christianorum et inter persecutorem christianae religionis, si non nomine, sed re, si non diserte, sed tacite adhibuerunt. Sed sensu longe alio. *Christianismi* enim persecutor iis est, qui *propter religionem*, quam colunt, Christianos vexat, *Christianorum* autem, qui eos *propter alias*



causas ad religionem non pertinentes persequitur. Persecutio illa sub Nerone, ut exemplum afferamus, iis est persecutio *Christianorum*, qua inmanis tyrannus in Christianos non propter eorum religionem, sed propter horrendum incendium, quo magna Romae pars consumpta erat, ut rei invidiam a se averteret, et culpam in Christiani nominis cultores conferret, dira acerbitate saevit: persecutionem autem sub Diocletiano seu Maximiano Galerio persecutionem *religionis christianae* appellant, quod Christiani tum *propter religionem* maxima crudelitate exagitabantur; edicto enim sancitum erat, ut Christiani, nobili loco nati, infamia, qui ordinis inferioris essent, servitute punirentur. — Hanc viam HENRICUS DODVELLUS, theologus Oxoniensis, in dissertationibus *de paucitate martyrum et de primorum martyrum insigni fortitudine ejusque causis*, primus est ingressus, cujus vestigia recentiores fere omnes historiae ecclesiasticae scriptores presserunt.

Hoc discrimen laude utique est dignissimum; multum enim fecit ad recte dijudicandam et convellendam falsam opinionem de decem persecutionibus, quae inde a *centuriatoribus Magdeburgensibus* usque ad DODVELLUM apud Nostrates valuerat, et paulo ante Dodvellum a CHRISTIANO KORTHOLO (c) novis praesidiis aucta erat. Reprehendendum tamen videtur (pace doctissimorum virorum dictum sit) quod omnis de hac re disputatio non a definitione, quis sit religionis christianae, quis Christianorum persecutor appellandus, sit profecta. Quae definitio jam ab initio disputationis *diserte* proposita, major quaestioni lux fuisset allata.

Illud autem discrimen cum nostro nullo modo est confundendum: vi enim et natura propria ab eo differt. Ut *illud* ad disputationem de decem illis persecutionibus trium seculorum priorum, *nostrum* ad historiam Juliani illustrandam, et rectius de Imperatore et ejus persecutione judicandum valet; quod ex ipsa hac disputatione effectum iri spero.

Libri ejus de *persecutionibus ecclesiae primaevae sub Imperatoribus aethiopicis* iterum prodiit Kiloni 1689. Multa Vir eruditissimus collegit, delectu autem et acumine critico nullo adhibito.



SECTIO SECUNDA.

De odio Juliani erga religionem Christianam causisque  
hujus odii d).

§. I.

A multis viris doctis quaestio est agitata, num Julianus apostata sit appellandus? Alii negant, alii affirmant e). Si autem in voce *apostata* non argutamur, sed *apostatam* appellamus, qui religionem christianam, in quam sacro lavacro est receptus, quamque publice est professus, deserit et ad aliam religionem desciscit, Julianum *apostatam* esse appellandum, extra omnis disputationis aleam est positum.

Julianus enim parentibus Christianis natus, patre Julio Constantio, matre Basilina f), baptismate in Christianorum coetum receptus g), praec-

d) Conferantur in primis quae Vener. Schroeckh in hist. eccl. T. VI. p. 276. seqq. de hac re docte disputavit, quamvis omnem hanc causam non ita absolverit, ut nihil prorsus aliorum curis sit relictum. Cum Schroeckhio est conferendus Cramer in der zweiten Fortsetzung zum Bossuet. p. 407. seqq. Gibbon history of the decline et cet. (ex vers. Germanicae Magdeburgi 1789.) T. III. p. 68. seqq. Das Leben des Kaisers Julian's. Aus dem Französ. des Abts de la Bletterie von Pfeil. Francofurti 1752. p. II. seqq. Crichton über des Julian's Abfall. Halis Saxon. 1765. pag. 6. seqq. alii.

e) Conf. Observatt. Halens. T. III. n. IX. Arnold l. c. T. II. pag. 1241. Cramer l. c. p. 416.

f) Basilina erat filia Anicii Juliani, Senatoris primi, qui Christo publice fidem dederat.

g) Socrat. H. E. III. 1. Χριστιανος ην εξ αρχης Ισλιανος. V. 2. λεγεται εϋθως περιφανως ετως αναιδην απαρηνησασθαι την εις Χριστον



ceptoribus Christianis, inter quos Eusebius Nicomediensis claritate nominis excellit, a Constantio in disciplinam traditus, ipse ordini sacro dicatus, Christiani nomen publice prae se ferebat. Accedit quod Imperator ipse epistola LI. ad Alexandrinos, se usque ad vicesimum aetatis annum *Christianum* fuisse h. e. ritus Christianos bona mente et sine ulla simulatione obiisse, diserte affirmat h).

## §. 2.

Ad Juliani autem odium, quod erga religionem Christianam inde a vicesimo aetatis anno susceperat, explicandum, ea quae potissimum ad Imperatoris animum a Christianorum cultu alienandum valebant, altius sunt repetenda.

1. Julianus, juvenis praeclaris ingenii dotibus praeditus, et haud vulgari historiae Romanae notitia imbutus, Constantinum et Constantium, Imperatores Christianos, cum Tito, Trajano, Marco Antonio et Marco Aurelio, Imperatoribus Graecorum religioni addictis, nullo modo comparari posse, facile animadvertibat. Sub his res Romanae crescebant, sub illis de-

crefce-

πιστω, ὡς θυσιαὶ τισὶ καὶ ἐπικλησεῖν, ὡς ἀποτροπαιεῖς Ἕλληνας καλεῖσθαι, καὶ αἵματι σφαγίων τὴν κατ' ἡμᾶς βαπτιστὴν ἀποψηφᾶσθαι, τὴ μῆσει τῆς ἐκκλησίας ἀποτάξαμενον. — ἔμετριως δὲ ἐλυπεῖ τὸς Χριστιανὸς καὶ περιδεῖς ἐπαιεῖ ἢ περὶ τὰντα σπᾶδη τὸ βασιλεως, καὶ μαλιστα ὅτι Χριστιανὸς ἦν προτερον. εὐλαβῶν γὰρ περὶ τὴν θεσκειαν πατερῶν γενομενος, ἐκ νεᾶ ἐμυθῆ κατὰ τὸν θεσμον τῆς ἐκκλησίας, καὶ τὰς ἱερας γραφὰς ἐπαιδευθῆ, καὶ ὑπο ἐπισκοποῖς καὶ ἐκκλησιαστικοῖς ἀνδρασιν ἐτραφῆ. Conf. Gregor. Nazianz. Orat. III. p. 70. qui taurobolio Julianum sacrum lavaerum extersisse affirmat.

b) Οὐχ ἀμαρτητεθε παρα ὀρθῆς ὁδὸς πειθόμενοι τῷ παρεθεντι κακείνῃ τὴν ὁδὸν ἀχρὶς ἑτῶν εἰκοσι, καὶ ταυτὴν ἰδὲ συνθεοῖς πορευόμενα δωδεκατὸν ἔτος. Conf. Libanii Orat. V. p. 175., qui Julianum Nicomediae degentem gravissimo odio adversus Deos incensum fuisse tradit.



crecebant i). Hanc nominis Romani imminutionem non a Christianae religionis propagatione, sed a disceptationibus theologicis, ab illius religionis indole prorsus alienis, et ab aliis causis, quarum peruestigatio in disputationem nostram non cadit, repetendam esse, severius historiae studium nos quidem docet; Julianus tamen, Christianum cultum ad rem Romanam labefactandam valere, Graecorum contra religionem magis esse idoneam, quae pristinum orbis Romani splendorem restitueret, aliqua veri specie deceptus sibi persuadebat k). Mores autem Constantini et Constantii non ita erant comparati, ut religioni Christianae commendatio aliqua inde nasceretur. Quamvis enim, Zosimo auctore l), a nonnullis nostri temporis scriptoribus Constantino quaedam falso esse obtrusa persuasum mihi habeam; nullo tamen modo negari potest, Imperatorem illum anili superstitione et atrocissima crudelitate Christianum nomen cominaculasse. Multa adhuc super-

stitior

i) Conf. Gibbon l. c. T. III. p. 243. 455. 462. 468

k) Jul. Epist. 7. *δια την Γαλιλαιαν μωριαν, ὀλιγα δειν, ἀπαντα ἀνετραπή, δια δε την των θεων ευμενειαν σωζομεθα παντες.*

l) Zosimo non omnino in Constantini rebus tradendis fidem esse habendam, vel ea declarant, quae de Constantini conversione ad Christianum cultum Historiar. lib. II. cap. 29. narrat. Nota est narratio ista ab hominibus nostrae aetatis satis decantata. Constantinum nempe, caede Crispi filii et Faustae uxoris perpetrata, cognitaque occisorum innocentia, conscientiae stimulis ita esse agitatum, ut, expiandi criminis et cruciatuum animi tollendorum causa, flamines adiisset, et lustrationis ope abluere maculam voluisset. Flamines autem criminibus tam atrocibus, quae expiari cuperet, expiationem denegasse. Tum Aegyptium quendam ex Hispania Romam delatum (Hosium Cordovensem significare videtur) et ad Constantini colloquium admissum, sententiam doctrinae Christianorum habere vim abolendi quodcumque peccatum confirmasse; spe igitur facta, novis sacris adfiscendis aboleri qualiacumque crimina, Constantinum Christo dedisse fidem. — Ut alias autem difficultates taceam, quibus haec narratio premitur, temporis ratio obstat, quo minus ei fidem habeamus. Caedes enim Faustae ac Crispi commissa est 326. Hoc ipso igitur anno Imperatorem expiationem petisse, et negata ea ad Christianos transisse necesse esset. At anno jam superiore 325 Constantinus rebus Christianorum ordinandis in consilio Nicaensi operam dederat. Hoc gravi anachronismo narrationis fides omnino est prostrata.



astitior et crudelior erat Constantini filius, qui Constantino in imperio simul cum Constantino II. et Constante fratribus succedebat, et ab anno 350 solus orbi Romano praeerat. Studium fere ridiculum, quo fidem Arianam, quam orthodoxam putabat, prosequeretur, Ammianus Marcellinus libro XXI. Historiar. cap. 16. optime depinxit, cujus verba huc facientia apponere liceat. „Eratque super his adimere facilis quae donabat, *Christianam religionem absolutam et simplicem anili superstitione confundens* m), in qua scrutanda perplexius, quam componenda gravius excitavit dissidia plurima, quae progressu fufius aluit, contentatione verborum, ut caeteris antistitum jumentis publicis ultro citroque discurrentibus per Synodos, quas appellant, dum ritum omnem ad suum trahere conantur arbitrium, rei vehiculariae succideret nervos.“ „Constantino regnante“ Julianus illius Imperatoris diram crudelitatem depingens Bostrenis epistola 52. scribit „plerique ex Galilaeorum principibus relegati, fugati vinctique sunt, illo tempore eorum, quos haereticos vocant, turbae quam plurimae sunt jugulatae, ita ut Samofatis, et in Cyzico, Paphlagonia, Bithynia et Galatia, aliisque gentibus, integri pagi vastarentur ac funditus evertentur.“

Imperatores igitur, qui Christianae religionis addictissimos cultores se praedicabant, quum rem Christianam moribus et rebus gestis nullo modo commendarent, quum opes Romanae sub illorum imperio in primis per disceptationes theologicas multum decrementi cepissent, Julianum, qui vim et effectum religionis, a ratione perversa, qua homines ea utebantur, distinguere nesciebat, id religione tribuisse quod hominibus, qui eam profitebantur, tribuere debuisset, atque adeo de religione Christiana non honorifice sensisse, non est mirandum.

§. 3.

m) Ex his et similibus Ammiani locis quidam efficere voluerunt, Ammianum fuisse Christianum, et quidem Athanasianae fidei formulae deditum. Nam verba *anili superstitione* Arianismum obscure significare putant. Sed Ammianus erat scriptor vere historicus, sine ira et studio, praeceptum illud religiose servans, scriptorem historicum nec religioni nec patriae addictum esse debere. Caeterum sub *Christianis* scribens Imperatoribus facilius a se impetrare potuit, ut ab iniquiore de Christianis judicio abstineret.



§. 3. Accedit quod Constantius erga Juliani propinquos crudelissime se gesserat, Julianum autem ipsum multa cum severitate, arrogantia, odio et invidia tractabat. Julium enim Constantium, patrem Juliani, et fratrem ejus majorem natu anno 337. occidi juserat, Gallus et Julianus immanis tyranni saevitiam effugerant, quod, quum tenera adhuc essent aetate (Gallus 12, Julianus 6 fere annos tum natus erat) ab iis nihil sibi metuendum esse putarat n). Gallus et Julianus tanquam exules in pluribus Ioniae et Bithyniae urbibus commorari debebant, ubi a Christianis doctoribus ita erudiebantur, ut in clerum adscriberentur, et ad vigilias et jejunia observanda, preces publicas fundendas, sepulchra martyrum frequentanda et martyria exstruenda instituebantur, donec Constantius iis diffidens, in castellum Macellum prope Caesaream in Cappadocia eos mitti juberet (anno 345.), ubi omni libertate privati, servis et exploratoribus obsessi tristem et omnibus amoenitatibus carentem vitam per sex annos degebant. Postquam Gallus anno 351. Caesar creatus erat, Juliano quidem Constantinopoli in literas incumbendi venia est data; sed quum laudes, quibus ab urbis illius incolis cumulabatur, Constantii invidiam excitassent o), in Ioniam et Bythiniam redire coactus est.

Julianum igitur adversus Constantium, qui eum parente, fratre, et, quod homini ingenuo omnium dulcissimum est, libertate orbaverat, gravissimo odio esse inflammatum, non solum conjectura facile assequimur, sed etiam Juliani epistolis, maxime epist. 52., edocti scimus. Hoc vero Juliani odium erga Constantium, religionis quoque, quam ille profitebatur, quamque ethnicismo praeferre suos duriter jubebat, odium et invidiam concitare poterat.

§. 4.

3. Doctrina, quae eo tempore christiana appellabatur, tantum aberat, ut illa simplicitate nativa gauderet, qua Christi et Apostolorum praecepta excellunt, ut coloribus adscititiis, quasi fucis, esset obducta. Quaestiones de

n) Conf. Julianus ad Sen. Populumque Atheniens. p. 270. Libanii Oratio Parentalis, Socratis H. E. III. 1. Sozome. H. E. V. 2.

o) Liban. Orat. X. p. 263. 264. ταῦτα ἔκ εἰς καὶ ἀπεδὲν Κωνσταντίου



de natura  $\tau\epsilon$  λογ $\epsilon$ , utrum minor sit patre, an  $\delta\mu\omicron\sigma\sigma\iota\omicron\varsigma$ , utrum sit  $\delta\mu\iota\omega\sigma\iota\varsigma$ , an  $\acute{\alpha}\nu\omicron\mu\omicron\iota\omicron\varsigma$ , et quae sunt alia ejusdem generis, verbo, disceptationes illae Arianæ et Athanasianæ illius temporis hominum Christianorum ingenia exercebant, et, quod erat molestum, in his disputationibus umbratilibus, quae ad bene beateque vivendum non pertinent, vim et naturam religionis Christianæ contineri, ab iisque felicitatem post mortem pendere, Christiani illi stulte sibi persuadebant, ita ut Arii et Athanasii sectatores sese invicem acerbissimo odio persequerentur *p*). Juliani ingenium acre et erectum harum quaestionum spinosarum angustiis nullo modo contineri potuisse, quis est quin videat? Illum igitur ex his laqueis se expedire summo opere studuisse, quis est qui miretur? Furor autem ille fanaticus, quo Christiani se invicem persequerentur, animum non omni liberalitate et humanitate destitutum offendere debebat. Nec ritus Christiani mirum in modum aucti, et a primis Jesu et Apostolorum institutis magnopere discedentes, Juliano, postero quidem tempore in caeremoniis Graecis mirifice sibi placenti, arridebant, fortasse quod, ritus illos a Christianæ religionis indole abhorrere, probe intelligebat; ex quo factum est, ut in *refutatione Christianismi apud Cyrillum* Christianis novum sacrificium (*την καινην θυσιαν* p. 306.), crucis et martyrum adorationem *q*), a Jesu, ut Imperator ipse animadvertit, nunquam praeceptam (p. 194. 335.), et alias accessiones a Jesu praeceptis institutisque profus alienas exprobaret. Adde miram repugnantiam in decretis conciliorum *r*), artes aulicas, quibus Ariani utebantur ad Constantini favorem sibi

*p*) Ammian. Marc. XXII. 5. nullas infestas hominibus bestias, ut sunt sibi ferales plerique Christianorum, expertus (Julianus). Athanas. hist. Arianorum ad Monachos edit. Benedict. p. 381. *τις ε $\kappa$  ε $\gamma$ νωσκειν, ο $\tau$ ι και θηριαν α $\gamma$ ριω $\tau$ εροι τυ $\chi$ χανωσιν οι Αρειανοι;* pag. 980. *οι Αρειανοι και Σκυ $\theta$ ων α $\mu$ ο $\tau$ εροι τυ $\chi$ χανοντες.*

*q*) Martyrum adorationem tum tanquam ritum ad Christianam religionem necessario pertinentem vim obtinuisse, ex Galli etiam epistola ad Julianum fratrem (p. 454. edit. Spanhem.) colligere licet.

*r*) Insigne argumentum praebet concilium Antiochense (a. 269.), in quo Paulus Samosatensis propter vocem  $\delta\mu\omicron\sigma\sigma\iota\omicron\varsigma$ , qua usus erat, damnabatur, quae in concilio Nicaeensi (325) tanquam formula fidei orthodoxae fanciebatur.



conciliandum; mores, perversos multorum ex ordine clericorum, honoris et splendoris eorum, aviditatem, arrogantiam, et quae sunt alia ejusdem generis, quae neminem historiae ecclesiasticae notitia vel leviter tinctum fugiunt.

4. Praeceptores Christiani, qui juvenilibus animis Galli et Juliani praecepta religionis Christianae instillare debebant, non ita erant, qui Juliano illius religionis praesentiam et venustatem, qua omnes religiones excellit, ostenderent et commendarent; praeceptores autem, qui Julianum liberalibus artibus erudiebant, ut juvenis animum ipsorum religione inflammarent, multo magis erant idonei.

Inter praeceptores Christianos, quorum institutione Julianus utebatur, Eusebius, episcopus Nicomediensis, primum locum tenet, a quo Nicomediae primis disciplinae Christianae rudimentis erudiebatur s). Episcopum illum, non tam in theologia, sed in rebus publicis gerendis laudem et gloriam sibi quaerentem, et auram Imperatoris captantem in instituendo Juliano, puero illustrissimo quidem loco nato, ab Imperatore tamen in exilium misso atque adeo omni spe et fortuna derelicto non valde sollicitum fuisse, probabile est. Religio autem christiana, qua episcopus ille Arianae disciplinae partibus deditus Julianum nostrum erudiebat, non erant nec esse poterant praecepta Jesu et Apostolorum, ad emendandos mores et animum ad virtutem excitandum efficacissima, sed spinae illae et dumeta Arianae doctrinae, unde in vitae societatem nihil utilitatis, et jucunditatis redundat. Alius Juliani praeceptor erat Ecebolius, homo levisimus, qui, Constantio quidem regnante, Christianam religionem ardentissime colere simulavit, Juliani vero temporibus ad Graecorum religionem descivit, post obitum autem Juliani Christo denuo fidem dedit t).

Horum praceptorum institutione Juliano utenti religionem Christianam arridere non potuisse, facile intelligitur. Praeceptores vero Graeci, qui Julianum literis elegantioribus instituebant, ad Paganismi incrementa promovenda et adjuvanda multo erant aptiores. Julianum grata mente Eu-

s) Ammian. XXII. 9. Nicomediae ab Eusebio educatus episcopo, quem genere longius contingebat.

t) Socrat. III. 1.



sebi meminisse nusquam invenimus, sed Mardonium Eunuchum laudibus effert *u*), qui Homeri poematum atque religionis Graecae mirabilem in eo excitaverat amorem.

His Juliani praeceptoribus, eum in disputationibus scholasticis causam religionis Graecae tanquam *τον ἡττω λόγον* defendisse, eamque disputando fecisse superiorem, mirari non licet. Praeceptum autem illud Constantini, quo vetuit, ne Julianus audiret Libanium *v*), Sophistam celeberrimum, qui Christianos illius temporis scriptores dicendi ubertate, eloquentia, copia et varietate doctrinae longe superabat, illius animum ad Graecorum religionem amplectendam adhuc propensorem reddidisse, a verisimilitudine non abhorret.

§. 6.

5. Accedit quod ea animi indole erat Julianus, ut Graecorum superstitione facile traheretur. Magnum rerum mirabilium amorem, ut omnibus hominibus magna imaginandi vi praeditis, ei a natura insitum fuisse, omnia declarant. Religio Christiana sitim ejus rerum mirabilium et reconditarum extinguere non poterat; multa autem Graecorum religio formulis non descripta et mysteria illa, quibus homines cum Diis arctius conjungi mystagogae illi sibi gloriabantur, ardenti Juliani ingenio, poetarum Graecorum lectione magis adhuc incenso, promittebant.

§. 7.

Haec omnia Juliani animum a Christiana religione avertere, et ad Graecorum cultum amplectendum propensum reddere poterant. Sed adhuc patrium cultum religiose servabat.

6. Consuetudo enim cum Platonice et Pythagoraeis recentioribus accedere debebat ad Julianum a Christiana religione *prorsus* alienandum, et eum commovendum, ut Christianorum cultum cum Graecorum superstitione

*u*) Mysopogon p. 352. 353.

*v*) Julianus nunquam fuit Libanii auditor (quo errore multi Viri docti lapsi sunt e g. Vener. Wachlerus in hist. liter. T. I. p. 423.), sed sedulus illius librorum lector, et in stilo vertendo imitator. Auctores sunt Socrates III. III. I., Sozomenus V. 3., Libanii Orat. V. p. 174. Orat. XII. p. 263. Parentalis in Julianum §. 7. Conf. Fabricii bibliotheca Graeca (edit. Harlesianae). T. VI. p. 721.



tione commutaret (a. 351). Philosophia illa, quam Platonici recentiores venditabant, nomine rerum divinarum humanarumque scientiae plane indigna, non nisi dogmatibus Platonice ridicule contortis, decretis Judaeorum cabalisticis, theurgiae et mysticae somniis, monstris et portentis confuta erat. Sed haec philosophia Juliano rerum mirabilium et reconditarum cognitionis sitienti arridebat. Vix illi, Gallo Caesare creato, venia erat data literis elegantioribus, quarum amore tenebatur, operam dandi, quum Aedesium senem, qui Jamblichus successerat et Pergami docebat, adiret seque ei in disciplinam traderet x). Aedesius, vir magna sagacitate praeditus, Julianum, ut olim Graecorum religionis causam defenderet et tueretur, quam maxime esse idoneum, praeficiens, Neo-Platonismi illecebris eum irretire magno opere studebat. Id consilium ut facilius assequeretur, Aedesius conquestus, se ipsum annis confectum philosophiae mysteriis Julianum initiare non posse, ei suavit, ut discipulos ipsius adiret, qui viam praerent, qua scientiam vere divinam adipisceretur. Maximum quidem et Priscum, discipulos suos praestantissimos, non adesse, sed Chrysanthium et Eusebium non vulgari rerum divinarum cognitione imbutos. Horum quidem disciplina utebatur Julianus, sed Eusebii narratio miraculorum a Maximo Ephesio editorum eum commovit, ut hunc philosophum ipse adiret y); ejusque consuetudine et institutione familiarissime uteretur, quo factum est, ut ab eo mysteriis Eleusiniis et omnibus praefigiis Platonice recentiorum vicissimum aetatis annum degens initiaretur. Mirabilem sui et philosophiae, quam profitebatur, amorem Maximus Juliano inspiravit, ad quem excitandum vaticinationem etiam illam, qua ei regnum praedicebat, multum valuisse probabile est. Ab eo inde tempore Julianus, Libanio Orat. V. p. 175. affirmante, caliginem menti obductam omnino dispulit, et vincula, quibus religio Christiana eum adhuc tenebat, dirupit, seque a Diis ad Graecorum cultum instaurandum designatum esse sibi persuasit. Platonice enim recentiores quum

60

x) Eunapius in *Vitis Sophistarum* p. 68 — 70. (edit. Commelii) ingenue artes describit, quibus Platonice illi utebantur, ad Julianum irretiendum. Cf. Liban. Orat. Parent. c. 9. 10. Socrat. Ill. I. Sozomen. V. 2.

y) Ex Eunapii narratione (l. c.) Julianus Ephesum profectus est. Secundum Socratem et Sozomenum (l. c.) Maximus Juliani amore ductus Nicomediam advenit. Conf. Bruckeri *histor. philosophiae*. Lips. 1742. Tom. II. p. 282 seqq.



eo tempore labantis Paganismi vindices et statores essent, inter quos Porphyrius libris in christianam religionem apud suos nomen illustraverat; Julianum ab illis philosophis deceptum, erga Christianum cultum multo magis odio esse impletum, omnino est in promptu.

## §. 8.

7. Ad odium Juliani erga Christianam religionem *augendum caedes* illa Galli fratris a Constantio perpetrata (354), qua nova macula Imperatoris nomini adsperebatur, et discrimen vitae, quod Juliano post caedem illam imminebat, procul dubio multum faciebat. Gallo fratre caeso, Julianus a militibus ex Ionia Mediolanum ad sedem Imperatoris ductus, per septem fere menses ibi tenebatur, semper timens, ne eodem supplicio afficeretur, quo quotidie omnes afficiebantur, qui se amicos Julii Constantii domus praestiterant z). Eusebia, Constantii uxore, intercedente, Julianus quidem huic periculo ereptus, et Athenas in honestum exilium, quo nihil ei jucundius accidere poterat, a Constantio ire jussus est (m. Maji 355), odium autem ejus in Constantium et in religionem Christianam tum altissimas radices egisse, ex naturae animi legibus facile explicatur a).

## §. 9.

8. Nec commoratio Juliani Athenis (usque ad m. Octobris 355) ad odium ejus in religionem Christianam minuendum quicquam facere poterat, consuetudine cum philosophis Graecis et cum pontifice maximo sacrorum Eleusinorum b) studium, quo in Hellenismum tenebatur, fovente, imo incendente et inflammante. Julianus autem Caesar creatus et Galliae praefectus (m. Novembris 355), quum similitatem inveteratam et invidiam Constantii semper experiretur, odium in Constantium et in religionem, quam ille profitebatur, non deposuit c).

## §. 10.

z) Ammian. XV. 2. Juliani epistola ad Senat. Popul. Athen., qua ipse conditionem suam molestiae periculique plenam describit.

a) Jul. Orat. III. p. 118. Liban. Orat. X. p. 266. Sozom. V. 2.

b) Eunap. c. 5.

c) Epist. Jul. ad Sen. &c. p. 277.



## §. 10.

9. Dissimulatio denique verorum animi sensuum, quam Constantii timor Juliano imponebat, hominem ingenuum et generosum offendere, et, periculo rei vetitae lenocinium augente Polytheismo magis amicum reddere debebat. Julianum igitur, sacris Christianis peractis, ad Jovis et Mercurii templa, ut ibi sacrificia offerret, cum amantis ardore properasse, non est mirandum.

Ac de odio quidem Juliani erga religionem Christianam et de causis hujus odii satis dictum est.

*Observatio:* De fontibus, quibus in Juliani historia praecipue utendum, hoc quidem monendum videtur. Maxima fides est habenda *Ammiano Marcellino*, scriptori gravissimo. Ipse Protector Domesticus expeditioni Parthicae interfuit; vera igitur tradere poterat: vera etiam tradere volebat, nunquam enim vel in laudando, vel in vituperando Juliano nimius est, sed historiam ejus sine ira et studio contexit. *Libanium*, etsi Juliani laudatorem addictissimum, tamen, crisi accurata adhibita, non contemnendum esse auctorem, vel inde apparet, quod narrationes ejus cum narrationibus scriptorum ecclesiasticorum apprime consentiunt. *Oratio Parentalis in Julianum*, *oratio de caede Juliani ulciscenda*, et *Panegyricus in eundem*, historiae Imperatoris multum locis afferunt. Inter *Juliani scripta* epistolae Imperatoris ad historiam ipsius illustrandam quam maxime valent; gravissima autem et rerum memoratu dignissimarum plenissima est epistola ad Senatum Populumque Atheniensem, quae paulo post bellum in Constantium motum (mense Maji 361) perscripta esse videtur, eo consilio, ut Atheniensibus, quae fecerat, probaret. Nec *Zosimi*, scriptoris magni acuminis et inter omnes scriptores byzantinos facile principis, historiae sunt contemnendae, sed caute adhibendae, quod a partium studio eum non omnino liberum fuisse jam supra ostendimus. *Eunapius*, sophista seculi quarti, in *vitis sophistarum*, praecipue in *Aedestio*, *Maximo* et *Chrysanthio*, multa affert, quae ad consuetudinem spectant, quae inter Julianum et Platonicos recentiores interceserat. Minoris momenti sunt *Sextus Aurelius Victor*, *Eutropius*  
et



et *Rufus Festus*, qui non nisi res satis cognitae et exploratae in *epitomis historiae Romanae* tradunt. — Inter scriptores ecclesiasticos ad *Juliani* historiam praecipuis pertinent *Socrates*, *Sozomenus* et *Theodoretus*. Quamvis enim *Juliani* nomini non faveant, multa tamen memoriae produnt, quae probabilitate se commendant, et cum narrationibus scriptorum ethnicorum consentiunt. Sublestae fidei est *Gregorius Nazianzenus*; furo enim oratorio et odio in *Julianum* suscepto inter omnes scriptores ecclesiasticos maxime tribuit. Vel ipse titulus, qua *Orationes* suas in *Julianum* inscripsit (*λογος ηηλιευτικος* eas appellat), ad fidem oratoris infringendam valent. Christianis scriptoribus adde *Prudentium*, poetam initio seculi quinti florentem, qui, invita quidem et irata *Minerva*, ex historiae tamen veritate *Juliani* mores depinxisse videtur. *Martyrologiis* autem, maximam partem a monachis otio et literis abutentibus ex fictitiis somniis et revelationibus, commentis, nullam omnino fidem esse habendam, inter omnes criticae artis gnaros constat.



---

 S E C T I O   T E R T I A .

*De iis, quae Julianus regiminis initio ad religionem Christianam extinguendam fecit et statuit.*

---

## §. 1.

Julianus etsi ad Graecorum religionem descisisset, Constantii tamen, et episcoporum, qui Constantii animum regebant, timore ductus, et militis gloriae cupidior, quam martyris coronae, veros animi sensus, donec ipse imperii fasces capeseret, i. e. usque ad initium anni 361, per decem igitur annos, celabat, publice religionem patriam colebat, privatim vero Graecorum Diis sacrificabat *d*). Julianum autem praeter Deos publicos et privatos Christianorum quoque Deum colere, Polytheismi ratio facile sinebat. Ut Constantium et Gallum falleret, capillos tondi jusfit, et monachi conditionem amplecti se velle simulavit *e*).

## §. 2.

*d*) Liban. Orat. Parent. c. 9. 10. Ammian. Marcell. XXI. 2. Ut omnes, nullo impediante, ad sui favorem alliceret, adhaerere cultui Christiano fingebat, a quo jam pridem occulte desciverat, arcanorum participibus paucis, haruspicinae auguriisque intentus, et ceteris, quae Deorum semper fecere cultores. Et ut haec interim celarentur, feriarum die, quem celebrantes mense Januario Christiani Epiphania dictitant, progressus in eorum ecclesiam, solemniter numine orato discesfit. Conf. Gibbon et Schroeckh loc. cit.

*e*) Socrat. III. 1. Ἐν χρεῶτε κείραμενος τον των μοναχων ὑπεκρινετο βιον. Sozomen. V. 2. Ἐν χρεῶ ἐκείρατο και τον μοναχικον ἐπλατ. τετο βιον. — Gallus, fama percrebescente, Julianum Graecorum Diis fidem dedisse, Aëtium episcopum Arianum ad fratrem misit, ut eum



## §. 2.

Initio demum regiminis *publice* Graecorum religionem Julianus est professus. Postquam Leonas quaestor cum Constantii literis ad eum missus erat (fine a. 360) — quae legatio bellum civile decernebat; — Julianus publice declaravit, se propriae salutis curam *Diis immortalibus* committere *f*), atque adeo publice Constantii religioni et amicitiae renuntiavit. Cum e Gallia proficisceretur *g*) (initio a. 361), jus liberum Diis sacrificandi promulgavit, Constantinopoli autem, urbe Christianissima, quae Graecorum sacris nunquam erat contaminata, Julianus ipse publice sacrificans (mense Decembris 361), *solemni quodam ritu* studium, quo Graecorum cultum prosequeretur, manifestavit *h*).

## §. 3.

Sed nondum Christianorum, sed *Christianae religionis* persecutor fuit. Religionem enim illam, quae ad res Romanas diminuendas facere ei videbatur, extinguere studebat, hominibus autem, qui eam colebant, aegre facere animus ei non erat.

*Initio* autem regiminis hos veros animi Imperatoris sensus fuisse, non solum dicta, sed, quod majoris momenti est, facta ejus evincunt, quae non ad Christianos vexationibus exagitandos, sed ad eorum religionem extinguendam spectabant.

## §. 4.

Viae vero, quibus ad religionem Christianam delendam *eo tempore* utebatur, haec fere apud priscos scriptores perhibentur *i*).

I.

in religione Christiana servanda confirmaret. Aëtius ad Gallum rediens plane contraria narravit, Julianum nempe a memoriis martyrum nunquam divelli, sed omnino Dei cultui addictum esse. Quo nuntio Gallus magna animi laetitia est perfusus, ut ipse epistola ad Julianum fratrem testatur (epist. 64 edit. Spanhem.) Liban. Orat. X. p. 234. Jul. ad S. P. A.

*f*) Julian. l. c. Zosim. III. 9.

*g*) Jul. epist. 38 Lib. l. c. p. 288. Socr. III. I. Sozom. V. I.

*h*) *Ad hunc solemnem ritum* Ammianus XXII. 5. spectasse videtur, cum Julianum Constantinopoli demum „sui pectoris patefecisse arcana: et planis absolutisque decretis aperiri templa, arisque hostias admoveri ad Deorum statuisse cultum“ affirmat.

*i*) Videtis Fabricium in salutari luce Evangelii p. 296 seqq.



1. Ipse summa cerimonia Graecorum religionis ritus servavit, et pontificis maximi non solum titulum ex more majorum sibi tribuit, sed etiam officium assumsit. Imperatoris officiis curisque prohibentibus, quin sacris publicis quotidie interesset, soli, deo tutelari, aedem privatam dicavit, et hortos prope palatium statuis et aris Diis sacris implevit. Prima quavis luce lucis patrem sacrificio salutabat, sole occidente alia sacrificia offerebat. Sodalium mysteriorum colligatio sanguinis conjunctione praestantior et firmitior ei erat. Diebus festis Deorum singulorum templa visitabat, et suo ipsius exemplo magistratum et populi animos religione perfundebat. Quid? quod Imperator ipse vilissimum victimarii munus obibat, lignum congeriebat, ignem flando excitabat, hostiam mactabat, manus cruentas intestinis hostiae morientis inferens cor aut hepar extrahebat, et ex illis futura tanquam haruspicinae peritissimus praedicebat *k*).

Incredibilem vero ceremoniam, qua *Imperator* religionem Graecam colebat, ad eam commendandam et disseminandam, Christianam autem contemnendam et deprimendam mirum quantum fecisse, est in promptu nec ulla disputatione eget.

2. Templa et delubra aut temporis injuria collapsa, aut sub Christianis Imperatoribus destructa instaurari iussit, eaque omnis generis ornamentis cumulavit. „Religionem“ inquit Libanius l. c. „ex fuga quasi retraxit, templis aliis quidem aedificatis, aliis vero instauratis, statuisque in ea illatis. Sumtus autem suppeditarunt ii, qui domos olim ex templorum ruderibus sibi excitaverant“ *l*).

3. Laudando, vituperando, blanditiis, verborum lenociniis, praemiis et omnis generis delinimentis religionis Graecae imperium promovit *m*). Memorabilis locus exstat apud eundem Libanium (Orat. Parent. c. 58. 59.), quem, quum ad omnem de persecutione Juliana disputationem illustrandam mirifice faciat, quin latine conversum totum apponam, mihi temperare non pos-

*k*) Jul. epist. 62. Mysopogon p. 346. Liban. Orat. Parent. c. 60. 87. et Orat. Consul. ad Julian. p. 245. 246. Ammian. XXII, 12

*l*) Ammian. XXII. 5. Sozomen. V. 5.

*m*) Prosper in Chronico: Juliano ad idolorum cultu converso, *blanda* persecutio fuit, illiciens magis quam impellens ad sacrificandum, in qua multi ex nostris voluntate propria corruerunt. Ruf. I. 32. Callidior ceteris persecutor, non vi neque tormentis, sed praemiis, honoribus, *blanditiis*, *persuasionibus* majorem paene populi partem, quam si atrociter pulsasset, elisit. Sozom. V. 3.



possum. „Justis defuncto (Constantio) perfolutis“ inquit ille Sophista „a Deorum, quos urbs (Constantinopolis) habebat, cultu initium fecit. Ipsemet nimirum in omnium conspectu litans, gaudensque ob eos, quos suum sequi videbat exemplum, et contra eos, qui illud imitari volebant, deridens, his ut idem factitarent *persuadere* quidem, non vero cogere quemquam annisus est. Et multum quidem metuebant ii, qui corruptam sequebantur religionem, planeque expectabant fore, ut oculi ipsis eriperentur, capita praescinderentur, et ob caedes multiplices sanguinis existerent fluvii, novaque Dominum novum tormentorum genera credebant inventurum, cum quibus comparata levia viderentur ferrum et ignis, submersionesque et vivorum defossiones, mutilationes item et amputationes. Talibus enim in eos suppliciis, qui olim imperarant, fuerant usi, multo autem graviora nunc expectabantur. Julianus tamen ab iis, qui ista adversus eos patraverant, toto animo disensit, utpote qui id, quod intendebant, consecuti non fuerint, ipseque nihil huiusmodi tormentis utilitatis inesse animadvertit. Nam qui corpore aegrotant, eos vinculis constrictos interdum sanare queas: at minus veram de Diis persuasionem neque ferro neque igne expuleris. Si manus immolet, animus manum arguit, et corporis infirmitatem accusat, et eadem quae prius admiratur: atque haec non opinionis mutatio, verum imago quaedam et umbra mutationis est: soletque contingere, ut pacem et veniam tales a suis postmodum iterum consequantur; qui mortem vero obire (inter tormenta) fuerint ausi, in sanctorum numero ab iis coluntur. His itaque subnixus rationibus, resque illorum caedibus capere incrementa edoctus, vitavit illa, quae approbare non poterat. Atque eos quidem, apud quos emendationi erat locus, ad veritatem perduxit, nec tamen illis, quibus deteriora placebant, vim intulit. *Interea tamen clamandi non fecit finem: quo miseri mortales proruitis? nonne pudet vos luce tenebras magis esse lucidas existimare? nonne eodem morbo, quo olim impii Gigantes, vos laborare percipitis? quorum corpora quidem nihil ab iis differebant, ut vibrare ea, quae dicuntur tela possent; verum illud fabulae dedit locum, quod non aliter ac vos Deos contemnerent.* — — — Medendi initium ab animis Julianus fecit: ad cognitionem eorum, qui coelum re vera tenent, aliis viam monstrans, eosque, qui illa disciplina essent imbuti, vel ipsis sanguinis jure sibi junctis magis caros habens, sibi que amicum esse censens, qui Jovi amicus esset, inimicum vero, qui illi esset inimicus, imo potius amicum sibi ducens eum, qui Jovi amicus esset, ini-



micum vero non quemvis eorum, quos Jovi inimicos esse sciret. Quotquot enim temporis successu mutaturus esse sperabat sententiam, minime repudiavit, sed *verborum delinimentis eos pellexit*, atque *abnuentes initio, ut tandem choreas circa aras ducerent, permovit.* — Platonicos recentiores, Maximum, Chrysanthium, Priscum, maximo honore et benevolentia profecutus est n), *eo consilio*, ut Graecam superstitionem ab Alexandrina secta revocatam ex pulvere et squalore, quo sub Imperatoribus Christianis oppressa fuerat, stabiliret et promoveret. Auctor est idem Libanius l. c. §. 77. his verbis utens: „Julianus fraterno quasi vinculo literas Deorumque religionem inter se connexa esse existimans, hanc autem penitus, illas maximam partem perisse deprehendens: ut et *illam instauraret*, et literas amare homines denuo occiperent, *eos quidem qui religionem exacte callebant, honoribus cumulabat*; orationes vero ipsemet concinnabat, atque ita utrumque fuit consecutus.“

4. Quum Graecorum anilis superstitio derisui exposita, et sanior Christiana disciplina per totum orbem Romanum propagata esset, Julianus illam religionem, quam tuebatur, ex philosophorum Platoniorum recentiorum placitis reifixit, eique meliorem et ingeniis cultoribus sui temporis magis arridentem formam induit, fabulas scelestas, ridiculas et paene aniles, quibus illa religio involuta erat, allegorice interpretando et sensum moralem iis tribuendo o). Locus ille Libanius modo citatus exemplum praebet, quo modo Julianus fabulam illam, qua Gigantes coelum impugnabant, interpretatus est. In hac allegorica interpretandi ratione Imperator philosophos illos Platonicos, quos saepe commemoravimus, in primis Porphyrium, duces sequebatur; quo factum est, ut *religio, quam Julianus profitebatur*, a vetere Graecorum superstitione multis stadiis discederet, nec ei gratia et venustas deesset, qua illius temporis hominibus se commendaret. — Accedit quod Julianus, quicquid ex Christianae religionis praeceptis et institutis ipsi placebat, in Gentilismi hortulos derivavit. Benignitatem et liberalitatem  
Chri-

n) Liban. l. c. §. 76. 77. Eunap. in Maximo p. 98. seqq. Cf. Bruckeri hist. phil. Tom. II. p. 300.

o) Conf. quae Julianus ipse in Orat. VII. p. 216. 222. de allegorica interpretatione, rebus theologicis apta, profert, et Oratio V, in qua fabulam de Aty et Cybele allegorice interpretatur. Henke de theologia Juliani in Opusculis Academicis. Lips. 1802. p. 355 seqq.



Christianorum erga pauperes, religionis nulla ratione habita, suis commendabat, et sacerdotes Graecos ad morum probitatem, vitae integritatem atque dictorum et factorum honestatem, ne a Christianis superarentur, adhortabatur p).

5. Julianus animadvertens, Christianorum disidia ad eorum religioni contemtionem afferendam, atque adeo ad ejus vim et efficaciam imminuendam valere, disidia illorum aluit, dissentientibus Christianis, vulgo haereticis, e. g. Eunomianis, Arianis, Donatistis, Novatianis faventem se praestitit, et episcopos et ceteros Clericos a Constantio exilio multatos revocavit. Locus classicus est apud Ammianum Marcell. XXII. 5. „Ut dispositorum roboraret effectum, disidentes Christianorum antititlites cum plebe discissa in palatium intromissos monebat civilius, ut discordiis confopitis quisque nullo vetante religioni suae serviret intrepidus. Quod agebat ideo obstinate, ut, disensiones augente licentia, non timeret unanimantem postea plebem, nullas infestas hominibus bestias, ut sunt sibi ferales plerique Christianorum, expertus q).

## §. 5.

Haec omnia autem ad religionem Christianam delendam et funditus evertendam spectasse, quis est qui non videat? Imperatoris enim studium, quo non solum ipse Graecorum religionem colebat et defendebat, sed alios etiam ad eam amplectendam variis delinimentis alliciebat, artes denique illae, quibus disensiones Christianorum alebat, ad rem Graecam promovendam, Christianam vero labefactandam et sensim delendam efficacissimum erat. Julianus autem quum Christiani nominis cultores vexatione non agigaret (cavillationem enim illam a Juliani moribus non alienam, qua Christianos traducebat, vexationem nemo nominabit), nec eos commodis privaret, quibus cives in republica bonis legibus temperata gaudent, inter quae liberum factorum jus primum tenet locum; Imperatorem eo quidem tempore h. e. initio regiminis Christianorum persecutorem non appellandum esse apparet.

p) Conf. Jul. epist. 49. 62. 63. Fragm. 288 — 305. Sozom. V. 16.

q) Sozomen. V. 4. 5. ᾤετο ταυτη μαλλον Ἑλληνισμον κρατυναι, ἀνεξιπακον και πρασον ἀδοκητως τῷ πληθει των Χριστιανων ἑαυτον ἐπιδεικνυς. Ταυτα δε σπεδαζων, πασι μεν τοις ἐπι Κωνσταντις Φυγαδευθεισι δια θρησκικων ἀνηκε την Φυγην, και τοις δημοεισι νομῶ τα σφετερα ἀπεδωκε κ. τ. λ. Socr. III. II. Philostorg. VII. 5.



---

 S E C T I O   Q U A R T A .

*De argumentis historicis, quibus apparet, Imperatorem progressu temporis Christianos persecutum esse, et de causis probabilibus, quibus factum est, ut animum erga eos mutaret.*

---

## §. 1.

Postero tempore Julianus persecutor Christianorum evasit. Inprimis odium ejus erga Christianos inde ab aetate anni 362 se manifestabat, quum Antiochiae commoraretur.

Multa quidem etiam hoc tempore Imperator fecit r), quae modo ad religionem Graecam stabiliendam et Christianam extinguendam spectare poterant, imo saepius hoc ipso tempore declaravit s), Galilaeos propter eorum religionem nil mali pati debere: haec tamen non serio, sed ad simulandam aequitatis animi speciem, et dissimulandum odium erga Christianos, dicta esse, res a Juliano, Christianorum ratione habita, eo tempore perpetratae quam maxime probant.

## §. 2.

Quamvis enim nullum exemplum exstet, quod certa auctoritate nittatur, quo effici possit, Julianum Christianos propter eorum religionem sup-

r) Praemio et laudibus Deorum cultores tum quoque cumulat, conf. Jul. epist. 21.; tempore Parthici belli milites ad sacrificandum auro pelliciebat, id quod Libanius ipse ingenue fatetur Orat. Parent. c. 81. 81. Conf. Greg. Nazianz. Orat. III. p. 74. 75. 83 — 86. Socr. III. 13.

s) Conf. Jul. epist. 52. Bostrenis misa et epist. 42.



supplicis affecisse; multa tamen sunt, quibus odium erga Christianos *qua* Christianos *eo tempore* declaravit et eos re vera persecutus est t).

## §. 3.

1. Doctores christianos artes liberales docere vetuit. Julianus hoc interdicto et Christianis arma auferre, quibus ad religioni Graecorum vulnera infligenda utebantur; cum in interpretandis scriptoribus Graecis locus iis non deesset, absurda fabularum, quibus religio Graeca involuta erat, ostendendi u); et religioni Christianae omnem venustatis laudem detrahere volebat. Doctores enim omnium artium liberalium rudes et fere indoctos rem Christianam cultioribus ingenis illius temporis commendare non posse, probe videbat.

## §. 4.

Multos quidem scriptores ecclesiasticos e. g. Gregorium Nazianzenum (Orat. III. p. 81. 96.), Sozomenum (V. 18.), Socratem (III. 16), Theodoretum (III. 8.), Augustinum (de civitate Dei XVIII. 52.) affirmare, Julianum Christianos non solum a docendo, sed etiam a discendo rejecisse v), me non fugit. Hi autem scriptores illius interdicti effectus rationem habuisse videntur. Cum enim Christiani praeceptoribus a vero dei cultu alienis liberos in disciplinam tradere dubitarent, praeceptoribus autem Christianis artes liberales docere non liceret; Christianos omnino a lite-

litate. (1) ανανδρως εσθλασθησεν ολοι τον αυτου ομιλ. (2) Socr. III. 13. Και την μεν υπερβαλλουσαν επι Διοκλητιανω αμοτητα υπερεθετο. Ουμην παντη τε διακειν απεχετο. Διαγων δε λεγω το οπωςν ταραττειν της ησυχασζοντας. Eutrop. X. 16. „religionis christianae (nimius) insectator, perinde tamen, ut cruore abstineret.“ Cruore autem abstinerebat 1) quod Christianos metuebat, 2) ne omnem aequitatis speciem deponeret, 3) quod, Libanio ipso affirmante, rerum usu edoctus intelligebat, supplicia non ad evellendam religionem christianam ex animis hominum, sed ad eam iis altius infigendam eamque disseminandam valere.

u) Theodoret. III. 8. Τοις οικειοις γαρ φησι πτεροι κατα την παρρησιαν βαλλομεθα, εν γαρ των ημετερων συγγραμματα και δοπιζομενοι, τον καθ' ημων αναδεχονται πολεμον. Sozomen. V. 18.

v) Conf. Schroeckh. d. c. 119. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 41. 42. 43. 44. 45. 46. 47. 48. 49. 50. 51. 52. 53. 54. 55. 56. 57. 58. 59. 60. 61. 62. 63. 64. 65. 66. 67. 68. 69. 70. 71. 72. 73. 74. 75. 76. 77. 78. 79. 80. 81. 82. 83. 84. 85. 86. 87. 88. 89. 90. 91. 92. 93. 94. 95. 96. 97. 98. 99. 100.



literis elegantioribus et qui inde nascitur cultu ab illo Imperatore exclusos esse, scriptores illi in verborum delectu non ita accurati affirmabant.

## §. 5.

Interdictum autem illud non ad juvenes erudiendos, sed ad doctores erudientes pertinuisse, ex ipso illo edicto, quod inter Juliani epistolas in editione Spanhemii quadragesimum secundum locum occupat, efficitur, quo Julianus praeceptores Christianos literas elegantiores docere vetat, diserte autem addit, *juvenes qui erudiri cupiant ab institutione arceri non debere, quum iniquum sit, pueros adhuc ignaros quo se vertant, ab optima via rejicere, ac metu coactos ad patria instituta deducere.* Ex his Juliani verbis Ammianus Marcellinus est explicandus, qui illius interdicti bis mentionem facit, cujus verba per se sumta ex legibus grammaticae interpretationis dupliciter verti possunt y).

## §. 6.

Julianum illo interdicto, quod ipse Ammianus inclemens appellat, *Christianos* re vera persecutum esse, quis est qui neget z)? Privavit enim  
eos

x) Τοις μὲν καθηγεμοσι καὶ διδασκαλοῖς ἄτῳσι κοινὸς κεῖται νόμος. ὁ Βαλομειὸς γὰρ τῶν νεῶν φοιτᾶν, ἐν ἀποκλεισθαι. ἔδε γὰρ ἔδε εὐλόγον ἀγνοῦντας ἔτι τῆς παιδείας ἐφ' ὅτι τρεπῶνται, τῆς βελτιστῆς ἀποκλείειν ὁδὸν, φοβῶ δὲ καὶ ἄκοντας ἄξειν ἐπὶ τὰ πατρία.

y) Ammian. Marc. XXII. 10. „Illud autem erat inclemens, obruendum perenni silentio, quod arcebat docere magistros rhetoricos, ritus Christiani cultores.“ XXV. 4. „Jura condidit non molesta — — — praeter pauca. Inter quod erat illud inclemens, quod docere vetuit magistros rhetoricos et grammaticos Christianos, ni transissent ad Numinum cultum.“ Wagnerum hunc locum non bene intellexisse apparet; vertit enim: So war es in der That unanft, das er den Lehrern der Beredsamkeit und Sprachkunst verbot, den Christen Unterricht zu geben, wenn sie sich nicht zur Verehrung mehrerer Götter bequemen wollten. Vertere debuisset: So war es in der That intolerant, das er christlichen Rednern und Sprachlehrern zu lehren verbot, wenn sie nicht zum Dienste der Götter übergegangen wären.

z) Socrat. III. 12. August. de Civ. Dei XVIII. 52. Deinde quid respondent etiam



eos propter eorum religionem commodo, quo alii cives gaudebant. Qui autem Christianos propter eorum religionem commodis privat, quibus alii cives in republica bonis legibus temperata gaudent, est eorum persecutor appellandus. Conf. Sect. I. §. 1.

## §. 7.

Hanc legem non initio regiminis, sed postero tempore esse latam, vel inde apparet, quod Julianus regiminis initio Gregorio Nazianzeno et Basilio M., qui tum inter Christianos doctores in primis artes liberales profitebantur, familiariter utebatur, eosque epistolis, ut se viderent, invitabat. Imperatorem enim eodem tempore, quo doctores Christianos honore cumulabat, legem tulisse, quae eos ingenii et eruditionis laude, qua florebant, privare debebat, non est probabile; Julianum autem postero tempore, quo illos oratores odisse coeperat, ut illis, tanquam Christianis, aegre faceret, legem illam promulgasse, multo est probabilius. Accedit quod Ammianus Marcellinus (XXII. 10.) illius legis meminit, postquam commorationis Imperatoris Antiochiae mentionem fecit.

## §. 8.

2. Ut nomini Christiano contemtionem asferret Julianus, Christianos ab honoribus et dignitatibus summis, a jure dicendo et testamentis scribendis exclusit, eosque non solum ipse ludibrii causa Galilaeos appellavit, sed etiam alios, ut idem factitarent, adhortatus est.

## §. 9.

Julianum autem Christianos a summis a) honoribus et testamentis scribendis exclusisse, ipse illa epistola 52. *Antiochiae Calendis mensis Augusti*

etiam de Juliano, quem non numerant inter decem (persecutores)? At ipse non est ecclesiam persecutus, qui Christianos liberales artes docere — — — vetuit?

- a) Scriptores ecclesiasticos e. g. Theodoret. III. 8. passim affirmare, Julianum legem tulisse, qua Galilaeos militia omnino expelli jusisset, me non fugit; sed ex aliis eorundem scriptorum locis apparet, hanc legem ad summos militiae honores restringi debere,

b)



gusti 362 data, qua clementiam suam *b)* erga Christianos praedicat, declarat. „Prioris dominationis cupidi, quoniam neque jus dicere amplius illis permittitur, neque testamenta scribere, aut alienas haereditates intervertere, et ad sese omnia transferre; omnes, ut ita dicam, petulantiae rudentes explicant, et, quod est in proverbio, ignem in ignem derivare, ac priora mala majoribus cumulare non dubitant, civitatum populos seditionibus invicem committentes“ *b)*. Eosdem animi sensus epistola 7<sup>na</sup> Juliani ad Artabium Praefectum, eodem fere tempore scripta, exprimit. „Ego per Deos, neque interfici Galilaeos, neque caedi praeter jus et aequum, neque molestiae quicquam perpeti volo: sed tamen iis pios et sanctos viros praefereudos esse vel maxime censeo (προστιμασθαι μεντι της θεοσεβειας, και πανυ φημι δευ).“ Rufino igitur, temporis accurata ratione habita fides non est deneganda, quum „procuracionem provinciarum jurisque dicendi Christianis non debere committi, utpote quibus etiam lex propria gladio uti vetuisset“ Julianum statuisse affirmat H. E. I. 32 *c)*. Ad idem tempus referendum videtur, quod Chrysostomus (de S. Babyla et contra Gentiles p. 783. edit. Paris) narrat, Julianum principes (της αρχοντας), ut Christianos Galilaeos appellarent, adhortatum esse. Chrysostomus enim paulo post Parthici belli meminit. Studium vero ridiculum, quo Christianum adeo nomen abolere conabatur, fortasse eo explicari potest, quod ex commentis Platoniorum recentiorum, quae Julianus sectabatur, nominibus omnis aliquid inerat.

§. 10.

*b)* πιδαντες την προτεραν δυνασειαν, οτι μη δικαζειν εξειν αυτοι, και γραφειν διαθηκας, και αλλοτρις σφετεριζεσθαι κληρας, και το παντα εαυτοις προσνεμειν, παντα κινωσιν ακοσμις και λων και, το λεγομενον, πυρ επι πυρ οχεταυσι και τοις προτεροις καιοις μειζονα επιθειναι τελωσιν, εις διασασιν αγωντες τα πληθη.

*c)* Conferantur quae Sozomenus V. 18. et Socrates III. 13. de hac re copiosius tradunt. Socrates etiam huic tempori legem tribuit, qua Christiani a summis honoribus et dignitatibus excluderentur. Mentione enim illius legis facta, pergunt tunc δε ο βασιλευς Παρσας αμυνεσθαι βαλομενος κ. τ. λ.



## §. 10.

Julianum etiam hac via Christianos esse persecutum, nullo modo negari potest. Qui enim Christianae religionis cultores *propter eorum religionem* honoribus et dignitatibus summis privat, imo qui nomini Christiano levis notae maculam adspersit; Christianos existimatione et honore, quo nihil homini ingenuo dulcius est, atque commodis adco privat, quibus alii cives in republica bonis legibus temperata gaudent.

## §. 11.

3. In vexationibus, quibus Christiani a magistratibus a Dei vero cultu alienis eo tempore exagitabantur, Julianus connivit, addito, si illi de injuria ipsis illata quaerebantur, sarcasmo, patientes esse debere Galilaeos secundum praecepta Christi; martyria everti jusit; Athanasium, qui una cum aliis episcopis a Constantio exilio multatis sub Juliani imperio redierat, propter studium religionem disseminandam suam, Alexandria et paulo post ab omnibus Aegypti locis relegavit; imo Christianis *propter eorum religionem* auxilium et opem adversus hostes denegavit.

## §. 12.

Multus quidem est Gregorius Nazianzenus (Orat. III.) in colligendis exemplis dirae crudelitatis Alexandrinorum, Heliopolitarum et Arethusiorum in Christianos, *Juliano connivente*; sed, ne propria vineta caedamus, gravioribus testibus est utendum. Alexandrini Georgium, qui in episcopatu Athanasio successerat, ut Juliani ipsius verbis utar, ut canes discerperant (aestate 362). Julianus eos epistola undecima *leniter* reprehendit, quod rem non ad iudices legitimos detulissent, sed ipsi poenas a Georgio sumsis-  
sent, nullo alio modo eos puniens *d*). Gazenses, Sozomeno H. E. V. 9. tradente, Nestabum et Zenonem crudelissime interfecerant, sed Julianus ne per literas quidem eos reprehendit, imo consularem exauctoravit, qui quosdam Gazenses seditionis ac caedis auctores in vincula conjecerat, addens, quid opus est, illos in vincula conjicere, qui paucos Galilaeos pro multis  
in-

*d*) Sozom. V. 7. *μεχρι δε γραμματων μονον εμεμφατο, και την τιμωριαν συνεχαρησεν.* Conf. Socr. III. 3. — Rem accurate exponit Ammian. Marc. XXII. 11.



injuriis, quibus ipsos ac Deos ipforum affecerant, ulti erant e). „Disfimumlabat“ inquit Theodoretus H. E. IV. 6. „scelera, quae homines audacissimi adversus modestissimos perpetrabant. Civiles quoque ac militares magistratus crudelissimo cuique et impiissimo mandabat f). Hi studiosos verae pietatis palam quidem sacrificare minime cogebant; sed omni infamiae genere eos atterebant g).“ Julianum autem non initio regiminis, sed ab eo inde tempore, quo Antiochiae commorabatur, magistratibus ethnicis in Christianis vexatione exagitandis connivisse, ex ipsis illis exemplis, quae a scriptoribus laudatis citantur, apparet, quae, ut ex Ammiano (lib. XXII.) videre licet, in tempus cadunt, quo Imperator Antiochiae commorabatur.

*Martyria Christianorum everti se jussisse Julianus ipse in Mysopogone Antiochiae scripto ingenue fatetur* (p. 381.), his verbis utens: τὰς ταφὰς ἡ) τῶν ἀδελφῶν ἀνετρέψαν παντὰς ὑπὸ τῆς συνδηματοῦς, ὁ δὲ δεδοται παρ' ἑμὲ πρῶην.

Athanasium non propter crimina, sed propter studium religionem Christianam disseminandi primo Alexandria, paulo post (*mensis Novembris 362*) ab omnibus Aegypti locis relegatum esse, ex ipsius Juliani epistolis apparet. Οὐδὲν ἔτιως ἰδομι, scribit Ecdicio Praefecto Aegypti (epist. 6.),

e) Conf. Ruf. I. 33. Theodor. III. 9.

f) Ammian. Marc. XXIII. 2. Lib. epist. 722.

g) Conf. Philostorg. VII. 4. Socr. III. 14. οἱ μὲντοι κατὰ τὰς ἑπαρχίας ἀρχόντες, καιρὸν οἰκεία κέρδη τὴν τῆ βασιλεῦς θεσηκείαν νομισάντες, περὰ τῶν βασιλικῶν προσηματῶν τῆς Χριστιανῆς κακῶς διέτιθεσαν χρήματα μὲν πλείονα ἢ ἔχρη ἐἴπραττομενοί· ἔστι δὲ ὅτε καὶ σωματικῆς τιμωρίας προσηγοντες, τὰντα μανθάναν ὁ βασιλεὺς περιεώρα, καὶ τοῖς χριστιανοῖς περὶ τῆς προσελθῆσιν αὐτῷ, ὑμετέρον ἐσιν, ἔλεγεν, αὐτῆς πασχόντας κακῶς ὑπομενεῖν· τῆτο γὰρ τῆ ὑμετέρῃ θεῶ παραγγελμα.

b) ταφῆαι hic non sunt sepulchra, quo errore interpretes lapsos esse video, sed *martyria*. Christianos Paganorum templa, ut heroum veterum sepulchra, Paganos autem Christianorum templa, quod in aedibus sacris in martyrum sepulchris exstructis Deum colebant, ταφὰς, σηκῆς appellasse, est in vulgus notum.



μαλλον δε ἀνεσσιμι μηδενος παρὰ σε πραχθεντος, ὡς Ἀθανασιον ἐξη-  
 ληλαμενον των της Αιγυπτου ἰσπων, ἰον μιανον, ὃς ἐβόλησεν Ἑλ-  
 ληνιδας ἐπ' ἐμὰς γυναικας ἰων ἐπιστημων Ἑσπησσαι, δια-  
 κερθαι ι).

Julianum adeo Christianis propter eorum religionem auxilium erga  
 hostes eo tempore denegasse, exemplis omni dubitatione maioribus probari  
 potest. Ipse enim Imperator quum Antiochiae commoraretur epistola 49.  
 ad Arsacium Pontificem Galatiae scripsit, se Pessinuntis opem ferre para-  
 tum esse, dummodo matrem Deorum sibi propitiam reddant, sin eam con-  
 temnant, eos in gravissimam sui offensionem incursumos esse *h*). Cum Per-  
 farum irruptio exspectaretur, Nisibenis, qui legatos ea de re ad ipsum mi-  
 serant, eo quod Christiani omnes essent, minatus est, Sozomeno (V. 3.)  
 auctore, se nec opem laturum, nec legationem admisurum esse, nec in  
 ipsorum urbem pedem prius illaturum, quam ipsos ad Gentilium religionem  
 se transtulisse didicisset.

## §. 13.

Hac igitur ratione Julianus etiam persecutor Christianorum est ap-  
 pellandus. Imperator enim, qui tenuiores, qui Christiani erant, injuria  
 non solum non prohibet, sed eam etiam connivendo probat, qui Christia-  
 norum templa everti jubet, qui eorum episcopum, propter studium reli-  
 gionem suam diseminandi et propagandi in exilium mittit, qui Christianis  
 propter eorum religionem auxilium et opem adversus hostes denegat; Chri-  
 stianos *quia* Christianos libero sacrorum jure et ceteris commodis privat,  
 quibus alii cives gaudent.

## §. 14.

i) Conferat. epistol. XX. VI. XVI. Hoc enim ordine scriptae sunt.  
 Sozom. V. 15. Ὁ δε βασιλευς, πυθομενος ἐκκλησιαζειν Ἀθα-  
 σιον ἐν τῇ Ἀλεξανδρεαν ἐκκλησια, και ἀδεως διδασκειν τα πληθη,  
 και πολλας Ἑλληνων πειθειν εις χριστιανισμον με-  
 τατιθεσθαι, προσεταξεν αυτον ἐξιεναι της Ἀλεξανδρειας.  
 Socrat. III. 14. Theodoret. III. 9.

*h*) Τῇ Πεσσινυντι ἐσθθαι ἐτοιμος εἰμι, εἰ την μητερα των θεων  
 ἴλεαν καταστησων ἐαυτοις, ἀμελεντες δε αυτης, ἐκ ἀμεμπτοι μονον,  
 ἀλλα πικρον εἶπει μη και της παρ' ἡμων ἀπολαυσωσι δυσμενειας.



## §. 14.

4. Post reditum denique Juliani e bello Persico Christianis gravissima quaeque metuenda erant.

Quamvis etiam multa a scriptoribus ecclesiasticis christianis, in primis a Gregorio Nazianzeno in Invectivis illis contra Julianum *l)* sint oratione exaggerata, multa a Juliano ne serio quidem dicta *m)*, ea tamen quae Imperator *communi consensu omnium scriptorum ecclesiasticorum* tempore Parthici belli fecit, odium ejus gravissimum erga *Christianos qua Christianos*, et animum eos infectandi declarat.

## §. 15.

Quum Julianus in Persas profecturus erat, pro armis ipsius festa solemnia instituebantur, ipseque Diis spondebat et Christianis minabatur, se post reditum eos et eorum religionem exstirpaturum esse. Summa igitur festinatione bellum externum finire studebat, ut tum huic rei omnes vires impenderet. Ut facilius impensae ad bellum sustentandum erogarentur, omnes capite censebantur, qui Diis sacrificare respuebant, quae census aestimatio insignis erat. Auctores sunt Socrates H. E. III. 13. 19. VI. 2. Chrysostomus de S. Babyla p. 783. Theodoret, H. E. III. 21. Rufin. I. 36. Hieronymus in Chronico, alii,

## §. 16.

*l)* Greg. Nazianz. Orat. III. p. 94. *πασῆς μὲν παρρησίας ἀποσπερισθαι χριστιανῶν, πάντων δὲ αὐτῶν εἰργασθαι συλλογῶν, ἀγορῶν, πεινηγυρεῶν, τῶν δικαστηρίων αὐτῶν &c.* Conf. Orat. IV. p. 114. 123 seq. Oros. Hist. VII. c. 30. Julianus bellum adversus Parthos parans, cum Romanas vires contractas undique ad destinatam secum traheret perditionem, Christianorum sanguinem diis suis vovit, palam persecuturus ecclesias, si victoriam potuisset adipisci. Nam et Amphitheatrum Hierosolymis exstrui iussit, in quo reversus a Parthis, episcopos, monachos omnesque ejus loci sanctos, bestiis etiam arte saevioribus objiceret, spectaretque laniandos.

*m)* Huc referrem, quod Theod. III. 21. tradit: *καὶ ἦν τῶν χρησιμῶν ψευδολογία πισεσθῶν, ἠπειλεῖ τὰς ἐκκλησίας ἐνδρῶσαι ἡδὲ δαίμονος ἡδὲ ἀκολασίας τοῦ εἰδώλου.*



Haec sufficiunt ad probandum, Julianum Imperatorem progressu temporis Christianorum persecutorem evasisse. Ne vero multa ad disputationem nostram facientia praetermisisse et argumentum nostrum non pro rei gravitate sed perfunctorie pertractasse videamur, quaedam adhuc monenda sunt.

1. In disputationem nostram non cadunt, quae Julianus in Christianos non propter eorum religionem, sed propter alias causas statuit. Huc referenda videtur poena, qua Arianos Edesae degentes affecit, qui in Valentinianos invaserant, et, ut Juliani verbis utar, ea perpetraverant, quae nunquam in civitate bene instituta accidissent (ὅσα ἐδραπέε ἐν εὐναμμένη πόλει γενοί' ἄν). Julianus nempe illorum Arianorum pecunias inter milites dividi, ceteras autem facultates bonis suis privatis attribui jusfit. Conf. epist. 43.

2. Huc non pertinent, quae aut omnino falsa, aut certe sublestae fidei et suspecta apud Gregorium Nazianzenum in Orationibus illis contra Julianum saepe commemoratis, et in Martyrologiis leguntur. Harum rerum curiosi apud I. A. Fabricium (in salutari Luce Evangelii p. 296. seqq.), eorum, qui a solo Martyrologio Romano in persecutione Juliani martyres commemorantur, indicem invenient.

3. Nec ad Christianorum sed *fortasse* ad *Christianae religionis* persecutionem est referenda instauratio illa templi Hierosolymitani Judaeis a Juliano concessa (a. 363.), quam terrae motus et flammaram globulos e terra erumpentes irritam reddidisse non solum apud Ambrosium (Epist. ad Theodor. Imperat.), Socratem (III. 20.), Sozomenum (V. 22), Rufinum (l. 37.) et alios scriptores ecclesiasticos christianos, sed etiam apud Ammianum Marcellinum (XXIII. 1.) legimus. Quamvis enim non omni veri specie destitutum sit, quod multis placet, Julianum Judaeis hanc veniam dedisse, ut Christi vaticinia irrita redderentur, nominis vero sui memoria operis magnitudine posteris traderetur; Imperatorem tamen de Judaeis eorumque religione honorificentius sensit, quam plurimi putant, persuasum mihi habeo. Judaeorum enim religioni multa e. g. lustrationes, sacrificia, inerant, quae Polytheismi cultori arridebant; nec pietas Salomonis, qui uno die 22000 boum et 120000 ovium sacrificaverat <sup>n)</sup>,

Juliano,

n) 1 Reg. 8, 13. 2 Chron. 7, 5. Josephi Antiquit. Judaic. VIII. 4. Julianus



Juliano, qui in sacrificando mirifice sibi placebat, ingrata erat. Quo factum est, ut Judaeorum Deus apud Julianum (in Fragmentis p. 295) *μεγας Θεος* audiret; ut ipse profiteretur (epist. 63), eorum Deum esse Deum verum, a Graecis alio nomine cultum, sed non unicum (Julian. apud Cyrillum p. 305. 306.); ut ipse Judaeis scriberet (epist. 25.), se cum iis, confecto bello Persico, Hierosolymis habitare et summum numen adorare velle o).

4. Libri a Juliano Antiochiae et in expeditione Parthica scripti, quibus Christianae religionis veritatem impugnare aggressus est, non ad persecutionem Christianorum, sed *Christianismi* pertinent. In hunc censum *Misopogonem* non referrem, qui modo in *Antiochenis*, qui Julianum cantilenis et omnis generis opprobriis profciderant, cavillandis et traducendis versatur, sed *Caesares et disputationes adversus Christianismum*. In opere, quod *Caesares* inscribitur, Julianus totus in eo est, ut Imperatores Gentiles omnibus laudibus cumulet, Constantinum vero M. et religionem, quam ille profitebatur, fugillet et contumeliis obruat, nec quicquam acerbius et contumeliosius in Jesu Christi sanctissimum nomen ejusque praecepta et instituta dictum facile inveneris, quam ea, quae in Juliani Caesaribus legimus p). Ne vero Julianus, ut religioni Christianae contemtionem asferret,

quid

lianus Christianos reprehendit (apud Cyrillum), quod Judaeorum sacrificia et alias cerimonias deseruissent.

- o) Haec epistola olim in *νοθειας* suspicionem est vocata; sed est genuina. Conspirat enim mirifice cum animi sensibus, quos Julianus aliis locis depromit, et cum conditionis Judaeorum ratione. Citatur etiam a Sozomeno H. E. V. 22.
- p) Quis Christianae religionis cultor illa Juliani sine gravissima animi indignatione legere potest (p. 336): *ὁ δὲ Κωνσταντῖνος, ἔχ' εὐρισκῶν ἐν θεοῖς τὰ βίαια τοῦ ἀρχετυποῦ, ἐγγυθεὶν τὴν Τρυφὴν κατιδὼν, ἔδραμε πρὸς αὐτὴν. Ἡ δὲ ὑπολαβεῖσα μαλακίας, καὶ περιβαλεῖσα τοῖς πηχεσὶ, πεπλοῖς τε αὐτὸν ποικίλοις ἀσκησάσα, καὶ καλλὰ πιτάσα, πρὸς τὴν Ἀτατικὴν ἀπηγαγεν, ἵνα καὶ τὸν υἱὸν εὐρωῶν ἀναστρεφόμενον καὶ προσαγορευόμενον πατὴρ, ὅστις φθόρευς, ὅστις μαιφονος, ὅστις ἐνάγκης καὶ βέλους, ἴτω θάρρων ἀπίφανω γὰρ αὐτὸν τῆτι τῷ ὕδατι λεσῶς, αὐτῶκα καθάρων, καὶ πάλιν ἐνο-*



quid intentatum relinqueret, opus singulare in Christianorum religionem in expeditione Parthica composuit, quod, testante Hieronymo (epist. 83. ad Magn. Orat.), libris septem constabat, cujus tres libri priores *ἀνατροπή των Εὐαγγελίων* inscripti erant. In illo opere componendo Imperator sibi id proposuerat, ut ostenderet, *την των Γαλιλαίων σκισμαριαν*, quo nomine Christianam religionem impie appellabat, esse *πλασμα ανθρωπων ὑπο καυρηγίας συντεθεν* (Cyrill. contra Julianum p. 59.). Julianum hoc consilium non assecutum esse, quilibet vel leviter religionis nostrae cognitione imbutus intelliget. Opus quidem ipsum non amplius exstat; sed refutatio Cyrilli Alexandrini, qui multa e Juliani libro loca refutandi causa affert, ad indolem illius libelli, in quo Imperator contortis ratiunculis utitur ad Jesu et Apostolorum praecepta cavillanda, pernoscendam sufficit.

Ac de Juliano quidem persecutore Christianorum progressu temporis evadente fati dictum est.

§. 17.

Sed adhuc quaestio est agitanda, quae ratio subeset, ut Julianus animum mutaret, idemque Imperator, qui initio regiminis Christianam quidem religionem delere studisfet, Christianis tamen nihil molestiae attulisfet, postero tempore, in primis inde ab aestate 362, quum Antiochiae commoraretur, Christianos ipsos multis viis et modis vexaret.

§. 18.

Sine partium studio nobis Juliani historiam perscrutantibus haec fere ad animum Imperatoris mutandum et Christianis alienandum fecisse videntur.

I. Christiani ejus temporis, qui a primorum religionis christianae cultorum mansuetudine et lenitate longe discesferant, aliter sentientes furore fana-

*χος τοις αυτοις γειηται, δωσω το σηθος πληξαντι, και την κεφαλην παταξαντι, καθαρω γενεσθαι?* Verba του υιον non ad Constantem, Constantini filium, quod nonnullis placuit, sed ad Jesum redire, ex orationis summa efficitur. In multis codicibus MS. hic locus deest, a librariis propter nominis Jesu et religionis nostrae turpissimam cavillationem omisus.



fanatico exagitabant, magistratibus ethnicis obtemperare respuebant, Imperatorem autem ab eorum cultu alienum cavillationibus, opprobriis, diris, imo infidiis lacescebant. Jam quadraginta et quod excedit annos rebus civilibus et ecclesiasticis praefuerant, multa vitia, quae res prosperae gignunt, Gregorio Nazianzeno ipso fatente *q*), contraxerant, sibi que persuadebant, sanctis, ut se ipsos appellabant, terrae dominium deberi *r*). Quum magna pars orbis Romani incolarum Christianis constaret, eos, cum punirentur, non semper culpa vacasse, facile intelligitur. Sed fidei christianae cultores omnem poenam eandemque justissimam, injustam appellabant, id Imperatoris persequendi studio tribuentes, quod justitiae tribuere debuissent. Julianus quum haereticos exsilio revocasset, orthodoxae fidei formulis addicti de diris vexationibus, quibus exagitarentur, conquerebantur *s*). Quid? quod furor populi omnem modum ita excedebat, ut mense Junii a. 362, quum Imperator Antiochiam proficisceretur, Pefinunte Cyheles ara in conspectu fere Imperatoris, Caesareae autem in Cappadocia fortunae fanum everteretur. Doctores vero religionis Christianae tantum aberant, ut homines seditiosos reprehenderent et Christianos a seditionibus avocarent, ut eos, qui propter talia crimina justas poenas dederant, martyrum honoribus ornarent *t*). Imo decem milites christiani Juliani vitae, quum

*q*) Orat. III. p. 61. 62. ἐν ἔτι το λειπον ἦν προσεθῆναι τῆ ἀσεβείᾳ καὶ δυνάμει ἔ πολυ το ἐν μεσῶ, καὶ ταυτὴν διδάσκειν αὐτῶ καθ' ἡμῶν, ἢ πληθυνθεῖτα τῶν πολλῶν ἀνομία, καὶ ἢ ἐπ' ἀκρῶν ὡς ἂν εἴποι τις Χριστιανῶν εὐεξία, τὴν ἐναντικὴν ζήτησα μεταβολὴν, καὶ ἢ ἐξέστια, καὶ ἢ τιμῆ, καὶ ὁ κοροὶ δι' ὧν ὑβρίσαμεν.

*s*) Jul. epist. 52. Οἱ (Clerici Christianorum) εἰς τσαχτόν λυσομανίας ἤκασι καὶ ἀπονοίας, ὥστε ὅτι μὴ τυραννεῖν ἔξεστιν αὐτοῖς, μὴδὲ ἂ ποτε ἐπράττον μετ' ἀλλήλων, ἔπειτα καὶ ἡμᾶς τῆς θεοσεβείας εἰργαζάντο, διατιθεναί, παροξυνομένοι πάντα κινῆσι λιθόν, καὶ συνταραττεῖν τολμῶσι τὰ πληθῆ, καὶ σασιαζέιν. κ. τ. λ.

*s*) Optatus de schismat. Donatist. L. II. c. 16. 17.

*t*) Greg. Nazianz. Orat. III. p. 91: τὰ Καισαρεῶν τῶν ἡμετέρων, τῶν δὴ τῶν μεγαλοφύων καὶ θερμῶν εἰς εὐσεβείαν, ἄτως ὑπ' αὐτῶ περιεληλαμένων καὶ ὑβρισμένων, ἴσως ἔδεν



quam Antiochiae commoraretur, furore religioso incitati, insidias faciebant *u*).

2. In primis Antiocheni Juliani odium erga Christianos excitabant. Antiocheni luxuria diffuentes, morum severitatem, quam Julianus prae se ferebat, nullo modo ferre poterant: religionis igitur, quam ipse profitebatur, nulla ratione habita, Imperatorem ab ipsorum moribus tam dissentientem oderant. Accedit quod Antiocheni nominis Christiani, quod in ipsorum urbe originem duxerat, etsi in praeceptis Christi servandis non ita religiosi erant, addictissimos cultores se praedicabant, atque adeo erga Imperatorem, qui eorum religionem extinguere studebat, et religionis Graecorum causam defendebat, gravissimo odio incendebantur. Famem, quae tum erat Antiochiae, irae Dei Juliani impietati irascentis tribuebant. Cantilenis igitur, opprobriis et omnis generis cavillationibus Imperatorem et propter cultum philosophicum, quo incedebat, et propter studium, quo religionem Graecam sequebatur, fugillabant *v*). „Hoc“ inquit Libanius *x*) „indignationem Juliani provocavit, tanta abundare subditorum suorum quosdam intemperantia, nec ullum metum eos continere, quo minus in hac monarchica reipublicae constitutione ea audeant, quae ne in populari quidem reipublicae genere, eo quoque quod plus, quam par sit, licentiae indulgeat, quisquam faceret.“ Sed non solum opprobria in Imperatorem coniecta, sed praecipue patrius cultus neglectus et contemptus Juliani iram adversus Antiochenos incendit. Paulo ante diem festum Apollini sacratum Antiochiam accesserat, animus ejus summa religione et maximo desiderio Apollinem ado-

*ὄνειδιζεν αὐτὸν.* Conf. Orat. IV. p. 133. Sozomen. H. E. V. 4. II. Conf. quae Socrates III. 15. de Maedonio, Theodulos ac Tatiano memoriae prodit, qui, ut Socratis verbis utar, incredibili quodam virtutis amore flagrantes (*ἐνδεσμὸν τὸ φρονήμα πρὸς ἀρετὴν κεκτημένοι*), noctu in templum Meri, Phrygiae urbis, irruerant et statuas omnes confregerant.

*u*) Lib. Orat. XII. p. 307. Orat. IV. p. 161.  
*v*) Ammian. XXII. 14. Ridebatur ut cercops, homo brevis, humeros extendens angustos, et barbam prae se ferens hircinam, grandiaque incedens tanquam Oxi frater et Ephialtis, quorum proceritatem Homerus in immensum tollit: iidemque victimarius pro sacricola dicebatur, ad crebritatem hostiarum alludentibus multis. Conf. Socr. III. 17. Sozom. V. 19. Theodor. III. 18.  
*x*) de Jul. ira ad Antiochenos c. 16. Cf. c. 17. 18.



adorandi perfusus erat. Cum maximo splendore et summa cerimonia Apollinis festum in templo illo Daphnensi celebratum iri mente sibi finxerat. Sed praeter spem et opinionem res cecidit. Ara erat deserta, oraculum silebat, Babylae autem martyri martyrium in luco Daphnensi erat exstructum. Pro bouum pinguium hecatombis anser unicus a sacerdote oblatus Deo illi immolabatur *y*). Postquam Julianus Babylae funus e luco Daphnensi Antiochiam ferri iusserat, sanum Apollinis ejusque statua (d. 22. m. Oct. 362.) incendio debebatur; id quod Christianorum furori imputabat *z*). Tum Ammiano Auctore XXII. 13. „ad id usque Imperatorem ira provexit, ut quaestiones agitati juberet solito acriores, et majorem ecclesiam Antiochiae claudi.“ Quam iram nunquam deposuit. „Ipse enim Antiochiam egressurus, Heliopoliten quendam Alexandrum Syriacae jurisdictioni praefecit, turbulentum et saevum: dicebatque, non illum meruisse; sed Antiochenis avaris et contumeliosis hujusmodi judicem convenire. Cumque eum profecturum deduceret multitudo promiscua, itum felicem reditumque gloriosum exoptans, oransque, ut deinde placabilis esset et lenior, nondum ira emollita, loquebatur asperius, se esse eos asserens non visurum *a*).“ Odium autem illud erga Antiochenos ab Imperatore susceptum Christianis ipsum inimicum fecit, eumque ad eos vexationibus exagitandos excitavit.

3. Sed, nisi omnia me fallunt, alia adhuc superest causa, quae ad Juliani animum in Christianos mutandum faciebat. Imperatorem de eventu Parthici belli sollicitum et anxium fuisse, et eo tempore inprimis maxima religione auspicia, quibus futura explorare putabat, cepisse constat *b*). Fortasse sibi persuadebat, Deos sibi Christianorum vexationibus propitios se redditurum esse. Promissa certe illa, quae Diis faciebat, se post Parthicam expeditionem feliciter peractam Christianos omnino deleturum esse, id confirmare videntur.

*y*) Misopog. p. 361. 62.

*z*) Misopog. 361. Ammian. XXII. 13.

*a*) Ammian. XXIII. 2.

*b*) Jul. epist. 38. Ammian. XXII. 14. ut aestimaretur, si revertisset de Parthis, boves jam defuturos. XXIII. 2.



---

 SECTIO QUINTA.

*De eo, quod ex his disputatis efficitur.*

---

Haec sunt quae de Juliani persecutione, ejusque causis, ratione et consilio recte disputari posse mihi quidem videbantur. Restat ut disputationis summa ante lectorum oculos paucis ponatur. Summa autem disputationis haec est.


1. Juliani odium erga religionem Christianam ex naturae animi legibus facile explicatur.
  2. Julianus, donec ipse fasces imperii capeseret, i. e. usque ad initium a. 361, hoc odium occultavit, et Christianae religionis cultoris speciem prae se tulit. Eo autem tempore Graecorum religionem publice professus, religionemque Christianam persecutus est; sed Christianos non exagitavit.
  3. Christianorum cogitandi et agendi ratione et sua ipsius superstitione Julianus excitatus, progressu temporis, praecipue inde ab aestate a. 362, cum Antiochiae commoraretur, Christianos est persecutus, a suppliciis tamen abstinuit.
  4. Ex hac Juliani diversis temporibus diversa agendi ratione contrariae de illo Imperatore sententiae sunt explicandae. Quamvis autem Imperator de injuria Christianis illata nullo modo defendi possit; Christianis tamen ejus temporis, quum illum multis modis lacesivissent, culpae aliqua pars debetur.
-




SECTION ON THE  
OFFICE OF THE SECRETARY

The Secretary of the Board of Education shall be appointed by the Board of Education for a term of years, and shall hold office until his successor is appointed. He shall be a resident of the State of New York, and shall be a member of the Board of Education. He shall be the chief executive officer of the Board of Education, and shall see that all the orders and resolutions of the Board are carried into effect. He shall have the honor and respect due his office, and shall be clothed with all the powers necessary to the execution of his duties. He shall be subject to the control and supervision of the Board of Education, and shall be removable by the Board at any time. He shall receive such salary as the Board of Education may determine, and shall be entitled to such other compensation as the Board may determine. He shall be eligible for reappointment by the Board of Education.
















§. 10.

9. Disimulatio denique verorum animi sensuum, quam Constantii timor Juliano imponebat, hominem ingenuum et generosum offendere, et, periculo rei veritatis lenocinium augente Polytheismo magis amicum reddere debebat. Julianum igitur, sacris Christianis peractis, ad Jovis et Mercurii templa, ut ibi sacrificia offerret, cum amantis ardore properasse, non est mirandum.

Ac de odio quidem Juliani erga religionem Christianam et de causis hujus odii satis dictum est.

*Observatio:* De fontibus, quibus in Juliani historia praecipue utendum, hoc quidem monendum videtur. Maxima fides est habenda *Ammiano Marcellino*, scriptori gravissimo. Ipse Protector Domesticus expeditioni Parthicae interfuit; vera igitur tradere poterat: vera etiam tradere volebat, nunquam enim vel in laudando, vel in vituperando Juliano nimis est, sed historiam ejus sine ira et studio contexit. *Libanium*, etsi Juliani laudatorem addictissimum, tamen, crisi accurata adhibita, non contemnendum esse auctorem, vel inde apparet, quod narrationes ejus cum narrationibus scriptorum ecclesiasticorum apprime consentiunt. *Oratio Parentalis in Julianum*, *oratio de caede Juliani ulciscenda*, et *Panegyricus in eundem*, historiae Imperatoris multum locis afferunt. Inter *Juliani scripta* epistolae Imperatoris ad historiam ipsius illustrandam quam maxime valent; gravissima autem et rerum memoratu dignissimarum plenissima est epistola ad Senatum Populumque Atheniensem, quae paulo post bellum in Constantium motum (mense Maji 361) perscripta esse videtur, eo consilio, ut Atheniensibus, quae fecerat, probaret. Nec *Zosimi*, scriptoris magni acuminis et inter omnes scriptores byzantinos facile principis, *historiae* sunt contemnendae, sed caute adhibendae, quod a partium studio eum non omnino liberum fuisse jam supra ostendimus. *Eunapius*, sophista seculi quarti, in *vitis sophistarum*, praecipue in *Aedesio*, *Maximo* et *Chrysanthio*, multa affert, quae ad consuetudinem spectant, quae inter Julianum et Platonicos recentiores interceserat. Minoris momenti sunt *Sextus Aurelius Victor*, *Eutropius* et

